



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

6. Nobile Fanvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

pue verò de posteriore dissentiunt. Nonnulli, ut Cranzius in Saxonia, *Irmensul* interpretantur statuam publicam. Conijci permittitur dictam *Idermansel* quasi commune profugium & asyllum omnium. Favet huic etymo Adam. Brem. qui patria lingua idem esse vult, quod Latinis *universalis colūna* quasi *universa* statuens. Gobelin. statuam *Mercurij* fuisse opinatur. Aventin. *Hermioni* sacram fuisse contendit. Plurimi memorix *Harminij* dicatam existimant. Gorop. Becan. *hieroglyphicam* esse affirmat. Verum magis credibile Saxones gentem bellicosam *Martem* in eo coluisse: nam ut Widekind. lib. i. *Secundum errorem paternum sacra sua propria veneratione venerati sunt, nomine Martem effigie columnarum innitentes.* Chron. Saxon. vetus. *Hæc erat forma Idoli Martis Marsburgi, quod Carolus M. destruxit in Westphalia.* Marti præterea similior quam Mercurio imago à Cranzio descripta. *Erat armati toto corpore effigies, cujus in dextra signum militare (nostri vexillum vocant) præferens rosam: cujus breve momentum & facilis ortus & interitus, ita eventus præliorum. In sinistra libram expandit, dubiam pugnantium sortem facile huc illuc inclinantem; pectus inermis præferbat, interritum bellatorum animum insinuans. In clypeo Leo, qui bestiis imperitat, invictum ad fortia facta animum monstrat: floribus consito campo, in quo stabat, quod nihil jucundius solet videri fortibus, quam in acie virtutem ostendere.*

6. NOBILE FANVM. Adamus Brem. Vrsperg. Rhenanus. Huldricus Mutius. tradere videntur sub dio in aperto campo stetisse; at fani seu templi meminit vita Caroli M. apud Pithœum, *pervenitque usque ad Ermensul, & ipsum fanum destruxit, & aurum & argentum, quod ibi reperit, abstulit.* Regino totidem verbis ex vita Caroli M. Henricus



de Hervordia ad annum Constantini Imp. 31. apud Meibonium in Irmenfula Saxonica cap. 7.

7. VASTATVM CAROLI VICTRICIBVS ARMIS. Annal. Franc. apud Pithœum. *Carolus Saxoniam ingressus, Eresburgum cepit, & Idolum Saxonum, quod vocabatur Irminful, destruxit. Vrsperg. Regin. Quo tempore Irminfulam, ejusque fanum Eresburgi Carolus destruxit, res mira contigit, ab Astron. auctore Annal. Franc. Vrsp. Reginone magno consensu prodita. Fuit siccitas magna, ita ut aqua deficeret in supra dicto loco, ubi Ermenful stabat. Et dum vellet ibi tres dies stare gloriosus Rex ad destruendum fanum ipsum, & valde homines & jumenta sitirent, subita Christi gratia, media die cuncto exercitu quiescente, apparuit eis torrens ebulliens salubres aquas, & cunctus exercitus & jumenta eorum sufficienter recreati sunt, & tam diu ebullit aqua viva, donec fanum destructum est. Sed quæ ad Dimolam amnem esse potuit aquæ penuria? an victorem Francum Saxones hostes aquatione prohibuere? certe exercitui sitienti vix magis defuit, quàm ingenio sedem Eresburgi ad Dimolam, nedum ad Luppiam aut Visurgim propugnanti aqua hic hæret. Non satis autem pietati Caroli fuit impium Irminfulæ fanum evertere: nam in eodem loco Christianum mox templum condidit, de quo auctor vitæ Caroli M. MS. lib. I. cap. 14. Apud Eresburgum civitatem Saxonie, quam propter inhabitantium perfidiam, & indomabilem contumaciam deleverat, sed tamen post casum in majori splendore zelo pietatis re-struxerat; Post everisionem Idoli, HERMENSVL, id est, STATVA HERMETIS ab incolis vocati, basilicâ imperialis munificentie & celsitudinis construxit: ut quem locum cultura demonum sordidaverat, Christiane religionis veneratio emundaret. Hanc basilicam*